

3/95

KALENDIS SEPTEMBRIBVS
MCMXCV

VARIVS
TOR VARIVS I
VMOR VARIVS F
RVMOR VARIVS F

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
TOR VARIVS
A ID IV F

TOMVS 18

FASC. 109

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen aeschlimann publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	24.--
In Germania	DM	39.--
In Austria	öS	276.--
In ceteris Europae terris	sFr.	36.--
In terris trans maria sitis	US\$	29.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographeum:
Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei aeschlimann publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	24.--
Deutschland	DM	39.--
Österreich	öS	276.--
Übriges Europa	sFr.	36.--
Übersee	US\$	29.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:
Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Die 6^o mensis Maii RUMORIS VARIII redactorum conventum annum in aedibus officinae 'aeschlimann publicity' Vitoduri habuimus.

Hac occasione ultimum libellum huius anni (5+6/95) iterum uni argumento dedicare et symbolas, quas vos plurimas nobis missuros esse speramus, in eo libello divulgare constitui-mus. Certe memoria tenetis anno praeterito in libello 5+6/94 primum id factum esse themate 'De mulierum servitute aut libertate variis aetatibus', et vobis satis placuisse videtur.

Itaque nunc aliud argumentum valde actuale et nostra aetate maximi momenti - ut existimamus - vobis proponimus: 'De circumiectionum tutela vel de natura a hominibus maxime in periculum adducta.'

Quo de argumento plurima et varia variis rationibus scribi posse putamus. Cottidie enim apparet homines naturam vel partes eius vexare, exspoliare, delere, vastare, abuti. Exempli gratia bestias pessime tractant, quae non aliter ac homines partes huius terrae sunt et communes nobiscum hanc planetam incolunt; maria, flumina, lacus, aër contaminantur, illa 'munera publica' (ut dicit Latona dea ad rusticos Lyciae in Metamorphoseon carminibus Ovidii poetae, VI,351), quorum usus communis est et quae omnibus animalibus ad vivendum necessaria sunt.

Sed bella gerentes quoque homines scelesti vastationes perniciemque efficiunt et naturae damna maxima afferunt. Homines scientifici et investigatores alimenta, velut olera vel poma, atque bestias genis tractandis mutant et 'corrigunt' non scientes, quae ex talibus tractationibus tandem nasci possint.

Etiam plura alia exempla adhiberi possint. Novissimum illius dementiae humanae omnes cognovimus: Quis ignorat experimenta de diruptionibus atomicis, quae regimen Franco-

gallicum in attollo nomine Mururoa peragi decrevit, contra monitiones omnium fere nationum, Francogallicis quoque scientificis dissuadentibus, contra mentem sanam hominum. Scilicet talia in locis a Francogallia longe remotis agere cupiunt, quamquam ista experimenta sine ullis periculis esse affirmant.


Tutela naturae nobis minime neglegenda est: cum nostra res, tum imprimis res liberorum nepotumque nostrorum agitur, quibus mundum habitabilem relinquere summum officium nostrum est. Ut dicto non ignoto utar: Trade posteris tuis talem mundum, qualem tu quoque adveniens invenire velis.

Itaque vos petimus, cari legentes, ut symbolas quam plurimas velut narrationes, carmina, relationes, picturas mittatis, quas in libello 5+6/95 (vel in sequente) divulgabimus. Animadvertite etiam scriptum titulo 'Cogitationes nonnullae de re proposita' a Barbara Maier composita! Maximas gratias vobis agimus.

Valete!



Daniel Weissmann



COGITATIONES NONNULLAE DE RE PROPOSITA

Iam veteres Romani statum vivendi corrigere volunt. Saepissime autem pietas quaedam veneratioque naturae desiderio mutandi obiciuntur. Primo agricultura sacrilegum putatur. Metalla a multis hominibus minimi aestimantur. Quotannis inundationes Tiberis tolerantur, ne Tellus neve deus fluminis aquis derivatis offendantur. Saepe autem lucrum pietatem superat. Ita silvae ex toto caeduntur, ut luxuriosius aedificari possit. Cupiditate divitiarum incitati homines metalla in lucem proferunt.

Aetate nostra pietatem erga naturam ignoramus. Sed cogitationibus rationi convenientibus nos bonis naturae prudenter uti necesse est. Constat nos hodie statum vivendi corrigere posse. Sed superbia quadam elati dona comparata delemus. Et veteres Graeci et Romani statum vitae omnibus terris emendabilem duxerunt. 'Oikumene' hodie autem neglegitur. Incolae terrarum divitium haud raro purgamenta in terris incolarum pauperum deponunt. Nostrum vero est de universitate generis humani cogitare.

Et Hippocrates et Vitruvius nos docent rationem habere et naturae et hominum. Reliquiae monumentorum antiquorum nos hac de re certiores faciunt: Natura sine hominibus esse potest, hominibus autem natura opus est.

Barbara Maier

QUIS EST ILLE IMPIUS?

(Fabula Sinensis)

Olim decem agricolae una per campum ibant. Tempestate orta in templo dimidia parte ruinoso oppressi refugium petiverunt. Tonitrus magis magisque appropinquavit, et tantus fragor erat, ut aer circum tremere. Fulgur continuo templum in circuitu circumibat. Agricolae maximo metu capti opinati sunt impium inter se esse, quem tonitrus occidere vellet. Ut cognoscerent, quis ille impius esset, constituerunt, ut pilleos stramineos suos ante portam templi suspenderent. Cuius pilleus stramineus flatu venti auferretur, illum fatum suscipere necesse esset.

Vix pillei straminei foris suspensi erant, cum pilleus unius eorum flatu venti ablatum est, et alii illum miserum sine misericordia ex templo eiecerunt. Ubi ille templum reliquit, fulgur desiit circumire et maximo fragore in templum decidit idque funditus delevit.

Hic unus enim, quem expulerant, solus iustus fuerat, cuius causa fulgur templo pepercerat. Itaque alii propter animos duos crudelesque vitam amiserunt.

Daniel Weissmann

DE AERIS GRAVITATE

Iam veteres Romani aeris gravitatem urbis Romae queruntur. Pulvis viarum, fumus culinarum thermopoliorumque, nubes male olentes, quae surgunt e corporibus ante moenia concrematis aerem corrumpunt. Horatius poeta gravitatem aeris querens homines adhortatur, ut urbem relinquunt:

'Omitte mirari beatae
fumum et opes strepitumque Romae.'

(Carmina, III, 29, 11-12)

Non solum Romae, sed etiam in aliis urbibus oppidisque imperii Romani odores mali hominibus molestiam exhibent. Cicero actione secunda in Verrem isti praetori illudit. Verres enim per oppida Siciliae iter facit modo indigno magistratum Romanorum. Sed Cicero quoque ostendit aerem in oppidis Siciliae pessimum esse. In lectica sedens Verres semper reticulum plenum rosarum ad nares movet. Sedet in pulvino rosis impleto. In capite et in collo coronas rosarum fert. Rosarum odore certe odores malos oppidorum velut culinarum fumantium et pulveris viarum arcere vult. Apparet praetorem istum praecipue de re sua cogitare. Omnia ad suam utilitatem referens animum ad rem communem non attendit. (De aquaeductu 88,1-3).

Sectus Iulius Frontinus autem, curator aquarum urbis Romae, qui vitam primo ante Christum natum saeculo egit, nobis exemplum curae communis salutis tuendae proponit. Laudat Nervam imperatorem, qui numerum castellorum, operum, munerum et lacuum in urbe Roma auxerat. Aetate Frontini non iam aquae otiosae inveniuntur, quae causae caeli gravioris sunt. Aere malo remoto urbs Roma faciem mundam praebet spiritusque eius purior est.

Nerva imperator vero vias atque rationes ad aerem meliorem faciendum novit.

Barbara Maier



Facete lepideque dicta

"Avunculus meus nummophilus est."

"Nummophilus? Quid id est?"

"Est aliquis, qui nummos collegit."

"Mehercle, semper ista vocabula peregrina nostris temporibus! Antea simpliciter 'mendicus' dixerunt."

Natali die quinquagesimo milionarius artis musicae non valde peritus desiderium sibi explevit, de quo a pueris iam somniaverat: Symphoniacos (1) moderari cupiebat. Itaque multos musicos omnium generum, velut aenatores, tibicines, cornicines, bucinatores, violonistas aliosque conduxit.

Sed prima iam in exercitatione omnibus musicis manifesto apparuit id numquam bene eventurum. Quinto impetu sine exitu peracto percussionista (2) collegas suos opus intermittere (3) iussit. Qui autem, quia merces eis oblata magna erat, pergere cupiverunt. Nihilominus, quo diutius exercebant, eo minus efficiebant. Postremo percussionista sensibus subtilibus in rebus musicis patientiam et aequitatem animi amisit et medio in cantu placido (4) iram fervescentem effudit et instrumentum suum saevissime pulsans maximum fragorem effecit. Moderator musicorum a se ipso nominatus stupens oculos a partitura tollit et indignans musicos spectans interrogavit: "Quis id fecit?"

"Nonne putas cuilibet homini esse aptum aliquod proverbium?"

"Certe. Quid exempli gratia de me ipso dicas?"

"Cui deus munus dat, ei mentem sanam quoque dat."

"Sed munus mihi non est."

"Nonne intelleges? proverbium tibi aptum est."

Iterum iterumque parva filia e patre aliquid quaerit. Denique pater defatigatus exclamat: "Istae interrogationes tuae perpetuae horribiles sunt. Nescio, quid factum esset, si equidem olim patrem meum semper tot interrogavissem!" Tum puella: "Si hoc fecisses, nunc fortasse ad interrogationes meas respondere posses!"

"Cur cani tuo nomen 'Furcifer' dedisti?"
 "Videre debeas, quot homines in via se convertentes respiciant, si canem nomine appello."

- | | |
|----------------------|---|
| 1) symphoniaci | Symphonieorchester/ orchestre Symphonique/ orchestra sinfonica/ orquesta sinfónica/ symphonic orchestra |
| 2) percussionista | Paukist/ percussioniste/ timpanista/ timbalero/ symphonic percussionist |
| 3) opus intermittere | streiken/ faire grève/ scioperare/ hacer huelga/ to strike |
| 4) cantus placidus | Adagio |

Daniel Weissmann



SOLUTIONES

Ecce solutio aenigmatis libelli 2/95.

1	L	A	T	U	M
2	A	N	I	M	O
3	T	I	M	O	R
4	U	M	O	R	E
5	M	O	R	E	S

DE NOVARUM TERRARUM INVENTORIBUS

Pars prima: Pytheas Massiliensis ad Ultimam Thulen pervenit

Massiliam coloniam Graecam conditam esse bene notum est. Graeci saeculis ante Christum natum per omnia maria sibi nota navigabant et colonias ducebant, quo melius merces suas transportare et vendere possent. Sic factum est, ut circum Mare Mediterraneum sederent 'sicut ranae circum stagnum', ut ait scriptor quidam.

Nemo dubitat, quin Graeci navigandi fuerint peritissimi. Mare patria quasi altera eis factum erat. Navigatio enim eis ad mercaturam faciendam erat utilissima. Nullus autem eorum solum navigandi vel nova cognoscendi causa navigationis pericula subibat....nemo nisi vir quidam Massiliensis nomine Pytheas. Pauca modo de eo scimus, et quaecumque comperimus, e libris aliorum (velut Strabonis) scimus, qui Pythaeae non favebant, sed eum fabulatorem et hominem mendacem putabant, quod imaginari non poterant id verum esse, quod Pytheas se vidisse narraret.

Pytheas enim Massiliensis non per mare Mediterraneum tantum navigavit, sed porro in Oceanum Atlanticum proventus et fines terrae tunc temporis cognitae transgressus est. Non novas emendi et vendendi occasiones quaesivit, sed accipere voluit, quo usque homo perveniret, si oram Atlanticam secturus fuisset.

Pytheas Herculis columnis relictis iter perrexit secundum oram Lusitanicam Hispanicamque et se in septentrionem vertit. Mox in Britanniam appulit. Deinde Britannicam oram occidentalem sequens ad eas insulas Scoticas (sive Caledonicas) pervenit, quas hodie Orcades nominamus. Hic ab indigenis comperit insulam mysteriosam itinere sex fere dierum distare in Oceano Atlantico. Cuius nomen esse Thulen. Circumdatam esse eam nebula atque mari semigelido. Pytheas non diu moratus, sed statim in eam insulam profectus est. Quod iter hominibus mediterraneis periculosissimum erat, quia adhuc tantummodo oras secuti, sed numquam Oceanum ignotum transvecti erant. Attamen Pytheas sex diebus post ad Ultimam Thulen pervenit.

De cuius situ viri docti hodierni dissentiunt. Alii Islandiam, alii Norvegiam, tertii extremam Orcadum insulam

Thulen esse putant. Quid autem Pytheas ipse de illa Thule narravit? Res autem mirissimas hominibusque illius temporis vix credibiles affirmavit velut has:


Thulae sol numquam occidit. Itinere unius dei post Thulen (sive Thulam, ut formam Latinizatam adhibeamus) mare concretum vel semigelidum incipit, pulmo quasi maritimus, qui neque nave neque pedibus superari potest, quia aër, aqua glaciesque mirum in modum congruunt, ut unum tantum elementum fiant. Pytheas "Hic", inquit, "sine dubio orbis terrarum finis est."

Ut rerum scriptores Pytheam praecipue propter hunc pulmonem maritimum per multa saecula irridebant et quasi 'Münchhausen' antiquum arbitrabantur, ita hodie tandem verum habetur, quod tunc Pytheas observavit. Nam mare septentrionale iuxta circulum polarem situm aestate 'limo glaciali', qui dicitur, obruitur, mixtura enim, quae reapse navigiis tunc aedificatis durior erat, pedibus autem mollior, ut, qui tamen transire esset conatus, aquis certe esset submersus et periret.

Pytheas autem itinere septem fere annorum facto anno 304 a. Chr. n. Massiliam rediit atque libros scripsit duos, quorum alter 'De Oceano', alter autem 'Descriptio orbis terrarum' nominatur. Dolendum est, quod utriusque libri ne una quidem pagina inventa est. Tantum ex aliorum scriptorum libris de eis scimus. Illi vero scriptores Pytheae, ut iam dixi, non credebant.


Non dubitandum est, quin Pytheae inter maximos novarum terrarum inventores numerari liceat.

Martinus Meier



Errata

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
1/95	10, v. 28 12, v. 11	dua et	duo ut



Dicta factaque veterum

Aristophanes, filius Philippi, Atheniensis (445-385 a. Chr. n.) de Aristocle Platone epigrammate quodam dixerat in animo eius tamquam in templo domicilium sibi constituisse ipsas Gratias. Quantopere illum admiratus sit, facile cognoscitur.

Pindarus Thebanus (522-446), qui et princeps lyricorum dicitur, interrogatus, cur Simonides Ceus (557-468) in Siciliam ad Hieronem tyrannum Gelensem, filium Deinomenis, se contulisset, ipse autem nollet: quia sibi ipsi solo vellet vivere, ait, non aliis.

Euripides Salaminus (circiter 485-406), filius Mnesarchi Clitonisque, pater trium filiorum Mnesarchidis, Mnesilochi Euripidisque, poeta ille sapientissimus, nihil ferro effici scripsit, quod non idem effici possit oratione.

Dionysius minor Syracosius, filius Dionysii maioris, interrogatus, quid tandem Plato et tota philosophia sibi profuisset, libere respondit, hoc sibi profuisse, ut iacturam regni et atrocitatem temporum suorum placide tranquilleque perferret.

Solo Atheniensis (640 fere natus), filius Execistidis, e gente Medontidarum, senescere se aiebat multa in dies addiscentem, qua animi voluptate nihil maius esse potest. Qui autem adulescens nullam discendi occasionem praetermiserat, etiam tandem senex Solo, ubi occasio data oblataque erat, continue discebat.

Solo a rege Croeso, filio Alyattis, Lydo interrogatus, feliciorerne umquam ipso hominem vidisset, Tellum Atheniensem quendam, deinde Cleobim Bitonemque fratres, filios Cydippae sacerdotis, nominavit. Croesus autem indignatus, quod ipse rex divitissimus et potentissimus non idem iudicaretur felicissimus, dixit: "Quid ita? Non igitur in numero felicitum me ponis?" - "At equidem", inquit Solo, "te regem potentia imperioque florere facile concedo, sed felicem non prius te nominaverim, quam cursum vitae bene te confecisse audivero, nam nemo ante mortem beatus."

Adulescens quidam, qui Zenonis Citionensis (333-262), filii Mnaseae, scholam diu frequentaverat, reversus patri, quam tandem sapientiam didicisset, interroganti re declaraturum se esse ait. Cum pater autem his verbis filii indignatus verbera ei ingereret, ille quiescens atque patienter ferens: "Hoc didici", inquit, "iram patris aequo animo perferre."

Democritus, filius Hegesistrati, Abderites (460 fere natus), discipulus Leucippi Eleatis aut Milesii aut Abderitis, exacta aetate luminibus amissis alba et atra discernere non poterat, at vero bona mala, aequa iniqua, honesta turpia, magna parva, poterat.

Euritus quidam interrogatus, utrum Socrates an Croesus esse mallet: "Vivus Croesus esse malim", inquit, "moriens Socrates."

Megarum anno 307° captis atque direptis cum hostium dux Demetrius Poliorcetes, filius Antigoni, philosophum clarissimum scholae Megarensis Stilponem (380-300) interrogavisset, quid detrimenti accepisset, ille: "Egomet autem nihil", inquit, "rerum mearum amisi, nam virtutem sapientiamque nullus de militibus tuis mihi abstulit."

Cum Dionysius II minor, homo prodigus luxuriosusque, uno die dixisset: "Ex consuetudine tua, o Aristippe, adhuc nihil utilitatis percepi", Aristippus philosophus Cyrenensis (435-366) facete compsissumeque: "Verum dixisti, o Dionysii", inquit, "nam si res aliter se haberent, tyrannus esse interea iam diu dedidicisses."

Theodorus Cyrenensis (340-250) philosophus non ignobilis, cum Lysimachus, rex Thraciae Mecedoniaeque, filius Agathoclis, crucem ei minatus esses, nihil sua interesse referreque ait, humine an sublime putresceret.

Quantum memoria natura et exercitatione valeat, testis est Themistocles Atheniensis (527-460), filius Neoclis, qui intra unum solum annum optime Persice loqui didicit, vel Mithridates Eupator Dionysius VI Sinopeus (120-63), filius Mithridatis Euergetae, cui duae et viginti linguae cognitae fuerunt, vel Cyrus senior (559-529), filius Darei Parysatisque, qui nomina omnium fere militum exercitus Persici memoriae mandasse dicitur.

Themistocles Atheniensis, filius Neoclis, Seriphio cuidam (incolae Seriphi insulae, nostris temporibus Serfo aut Serfanto dictae, in mari Aegaeo sitae) in iurgio respondisse fertur, cum ille dixisset non eum sua, sed patriae splendorem adsecutum: "Nec hercule", inquit, "si ego Seriphus essem, nec tu si Atheniensis, clarus umquam fuisses."

Timotheus Atheniensis, filius Cononis, cum collega quidam dixisset: "Nobisne, o Timothee, patria gratiam referret?" respondit: "Utinam nobis potius contingat, ut iustam ei referamus."

Alexander Macedo, cum in Sigeo ad Achillis, filii Pelei, regis Myrmidonum, Thetidisque Nereidae, tumulum adstisset: "O fortunate", inquit, "adulescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris."

Pyrrhus, filius Aeacidis Phtiaeque, Epirotarum rex, quamquam deos deasque precari et sacra facere et dona ferre non desinebat, tamen numquam aut victoriam aut incrementum potentiae aut gloriam ab eis postulabat, sed unum solum hoc semper orabat, ut integra semper valetudine uteretur.

Lacedaemonii Philippo II^o Macedone per litteras minitante se omnia, quaecumque conarentur, prohibitum esse, quaesiverunt, num etiam mori se esset prohibiturus.

Agesilaus II Laco (444-360), filius Archidami, interrogatus, ultra nempe virtus melior esset, fortitudo an iustitia: fortitudinem nihili esse, ait, nisi iustitia adiuncta; sin omnes iusti essent, futurum esse, ut fortitudine non iam egerent.

Cum Megabyzus Perses quidam nobilissimus, quondam de Apellis, filii Pythae Colophonii, tabulis multa inepte esset locutus, artifex ei dixisse fertur: "Dum tacebas, hi pueri, qui colores terunt, admirabantur, nam vestem tuam splendoremque cultus spectabant, nunc autem, cum de arte disserere coepisti, te despiciunt."

Sardanapallus Conosconcolus (Accadice: Assur-ban-apli, 668-626) incidi iussit, ut fertur, in busto: Haec habeo, quae edi. "Quid aliud", inquit Aristoteles philosophus (384-322), filius Nicomachi medici, in bovis sepulcro inscriberes?"

AMICUS




Fabula de Vesuvio monte

Fumus e Vesuvio monte assurgit. Julius et Augustus terrentur...



... et ad Vesuvium montem currunt. Vesuvium montem scandunt.



Subito draco venit et flammam sput. Dracone periculosus est?




Dracono imoxius est et pueros flammis spueri docet!



Hora sexta pueri cenandi causa Vesuvium reliquunt. Vitulinam edunt et vinum bonum bibunt. Augustus terretur! Julius: "Quid est?" Tum Augustus: "Aqua e Vesuvio monte effluit!" Nam draco denuo solus est et lacrimat. Draco lacrimandi causa spueri dedidit. Itaque Vesuvius mons interit.

Lacrimae



1995 by Marie Haefel

FINIS

AD PATREM

Cher papa,
je pense tellement à toi,
que le jour je ne mange pas,
la nuit je ne dors pas,
je pense à toi.

Je souhaite que tu viennes vite,
dans le pays où j'habite,
me voir,
un soir.

Je veux te faire plaisir,
jusqu'en te faire rougir,
je souhaite que tu viennes vite,
me voir,
un soir,
dans le pays que j'habite.

Care pater mi, de te adeo en hic cogito ego usque
ut die edam numquam nec dormiam nocte silenti.
De te cogito in annos, perdillecte pater mi.

Opto, ut continuo venias hanc in regionem,
in qua nunc habito, ut visas me vespere quodam.

Atque quidem facere id tibi pergratum cupio atque
opto dum tunc efficiam toto ore rubescas.
Opto, ut continuo venias hanc in regionem,
in qua nunc habito, ut visas me vespere quodam.

Angelus Granata Gallice scripsit, pater eius Iohannes Granata in versus Vergilianos vertit.



SCHOLASTICI AEDIFICII PER ANNI TEMPORA COGITATIONES

AUTUMNO

Clamantes turmae redeunt strepitum faciendo:
paulisper vegeto convenient studio.
Ast alacer vigor iste brevi spatio minuetur,
et numerare dies incipient pigrius.

HIEME

Dormitans torpore iacet grex nunc hiemali;
iudicium procul est: pro nihilo faciunt.
Raucedo, nivei cumuli, contagia morbi:
ut cessent quaevis causa sat est levior.

VERE

Discipuli fiunt operum nunc impatientes;
conspirat placidus desidia zephyrus.
At chartis sudare iubet timor ille repulsae;
munificae serpunt undique blanditiae.

AESTATE

Iam tandem potere menses requiescere longos,
barbara donec erit colluvies alibi;
andrones taciti, plutei quoque pulverulenti
exoptata mihi (1) haec otia significant.


- 1) Ut supra diximus, scholasticum ipsum aedificium personae instar loquens cogitansque inducitur.

Orestes Carbonero



CERTAMEN CAPITOLINVM XXXXVII

OMNIBVS PROSAE LATINAE ORATIONIS
LATINORVMQVE CARMINVM
STVDIOSIS HOMINIBVS PROPOSITVM
A. MDCCCCLXXXV



INSTITVTVM ROMANIS STVDIIS PROVEHENDIS

CERTAMEN CAPITOLINVM XXXXVII

INSTITVTVM Romanis studiis provehendis, auspiciis et impensas adiuuantibus Administro bonis cultus humani civilisque servandis et Romanae civitatis Magistro, ad novum Capitolinum certamen prosae Latinae orationis Latinorumque carminum omnes omnium gentium Latini sermonis studiosos homines invitat, sperans fore ut ex nobilissimorum ingeniorum concertatione aliquid emicet, quod Quiritium maiestate facundiaque sit dignum.

Certaminis praemium, quod Urbis Praemium nuncupatur, erit argenteum sigillum, lupam Capitolinam imitatum, in basi victoris nomen atque annum diemque certaminis praefrens. Huic sigillo sescenta denariorum Italicorum milia adiecta sunt.

Ceteri petitores, qui digni habiti sint, laude ornabuntur. Ex iis autem qui victori proximus de agone discesserit, argenteo nummo decorabitur, qui in antica parte Capitoli imaginem, in aversa litterati viri nomen atque annum diemque certaminis exhibebit. Huic quoque muneri trecenta milia denariorum Italicorum adiecta sunt.

Scripta quae praemio ornabuntur typis excudenda, si visum erit, curabit Institutum Romanis studiis provehendis, ac proinde post annum tantum integrum erit auctoribus eadem in lucem edere.

Institutum Romanis studiis provehendis ad hoc prosae Latinae orationis certamen etiam scholarum discipulos adolescentesque omnes in Universitatibus studio deditos invitat. Ex iis qui primus de agone discesserit, honorifica ornabitur mentione. Cui centum milia quoque denariorum Italicorum adiungentur.

Exitum certaminis, cum diei Urbis natalis sollemnia celebrabuntur, in aedibus Capitolinis Romanae civitatis Magister renuntiabit.

LEGES CERTAMINIS

I) Fictis fabellis, commentariolis historicis, disputationibus philologis, denique omni prosae eloquentiae genere certare licet: sed praestantium ingeniorum nova experimenta Capitolinum Certamen requirit. Scripta quibus petitores certabunt ne puerorum gymnasiis sint destinata, *ne prius in lucem edita,*

ne alio praemio ornata neve laude, neve ex alio sermone sint conversa. Petitores omnes licebit certamen adire uno libello.

Doctorum virorum scripta ne mille et quingentis verbis sint breviora; adulescentium autem scripta ne mille breviora sint verbis.

Poetarum carmina ne minus quinquaginta versibus constant, quolibet metro exaratis, de qualibet re conscriptis.

Praemium vel laus non illis deferetur qui e vita excesserunt.

II) Tria libellorum suorum exemplaria vel machinula scriptoria perspicue exarata vel typis excusa et tabellariorum diligentiae commendata mittant scriptores aemuli ad *Istituto Nazionale di Studi Romani — Ufficio Latino — Piazza dei Cavalieri di Malta 2 — 00153 Roma* pridie Kal. Febr. proximi anni.

Studiosorum hominum exemplaria non auctoris tamen distincta sint nomine ne in integimento quidem, quo conclusa sunt, sed sententia munita, quae eadem inscripta sit scidulae obsignatae, nomen domiciliumque scriptoris exhibenti. Discipuli vero libellis nomina domiciliaque subscribant ac tabellam adiciant, in qua scholae vel Vniversitatis ordinis Praeses fidem faciat discipulum, qui ad certamen sit descensus, vere scholae illius vel Vniversitatis ordinis auditorem esse.

III) Tres viri iudices erunt ab Administro bonis cultus humani civilisque servandis et a civitatis Romanae Magistro et a Praeside Instituti nostri delecti. Hi post iudicium scidulas resignabunt, quae easdem quas scripta probata sententia praeferant. Scripta non probata, si repetita, reddentur: sin minus, una cum scidulis obsignatis, tertio exacto mense post iudicium publicatum, debentur igne. Eodem temporis momento adulescentium scripta, quae auctores non repetiverint, igni committentur.

D. Roma Kal. Mai. a. MDCCCCLXXXV ab V. c. MMDCCXXXVIII

CAIETANVS MIARELLI MARIANI
PRAESES INSTITVTI



Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:)
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann
publicity
Stadthausstrasse 65
CH-8400 Winterthur

RVMOR VARIVS
c/o D. Weissmann
Tellstrasse 30
3014 Bern

AZB

4702 Oensingen


3/95

KALENDIS SEPTEMBRIBVS
MCMXCV

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!

1	2	3	4	5	6
6					
5					
4					
3					
2					
1					

Nomen emittentis et inscriptio cursualis:



TOMVS 18

FASC. 109